

27.

M(einhard) an den Bischof G(unther): schildert auf Kärnten, wo der Bischof sich aufhält, berichtet über die (Bamberger) Domschule und über einen Überfall des Herzogs (Ordulf) von Sachsen auf Stade. (1063 etwa Dezember.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 57.

Domno dilectissimo G. M. suus.

Profecto verum est illud Mantuani nostri, quod circumfertur, emistichium¹: 'Omnia fert etas'; non tamen, ut plerique auspicantur, aufert tantum, verum ut ego a re ipsa persuasus sum, affert etiam. Quid enim illa auferat, quod prius non attulerit? Denique ex me ipso experimentum facio. Solebam prius satis superque mirari, immo etiam stupore interdum attonitus herere, quenam causa tantum in vobis desiderium flagitandarum a me litterarum accenderet, tum precipue, ubi in Carinthiam descensum esset. Nunc tandem hunc scrupulum pati desino. Sic enim autumo, sic ratiocinari soleo, ubi vos in hæc inferorum profunda mersistis, anxia curiositate torqueri, quidnam in hoc supero orbe agatur, et non leves penas prave cupiditatis, qua a nobis haut sciam gravius an oculcius merentibus discessum est, luere, pro quibus leniendis et quasi refrigerandis, ut dives ille vester a Lazaro guttam aque peciit, itidem vos solatium litterarum a nobis expectatis. Sed que execratio tam dira, que imprecatio tam funesta^a tam odiose^a sufficiat provintie^a? Ipsarum me litterarum certe miseret, que non illo transmitti, sed in triste exilium videntur relegari. Apud nos quidem omnia recte. Scole nostre plurimo redundant flore, et si aura divini muneris aspiraverit, fructus pollicentur letissimos. Aliqui etiam tyrones nostri non iam litteras, sed libros in adventum vestrum audent. § Dux Saxonie marchionem^b de Stada graviter multavit ipsumque Stada tetra vastatione grandinavit. Plura vellem licet inepta effutire, sed nuntius urget. Hec ipsa, quæ scripsi, ne nichil scriberem, ideo scripsi. Sancti spiritus communicatio cor vestrum foveat et illuminet, amen.

27. ^a) funestam — odiosam — provintiam c. ^b) marthionem c.

¹) Vergil, Bucol. eclog. 9, 51.